

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Obligatione Matrimoniali secundum Legem Naturae

Wernher, Johann Balthasar von

Lipsiae, 1698

§. VI

urn:nbn:de:bsz:31-102612

ἐκ ἐπιθῆ ἀνὴρ διὰ τὴν γυναῖκα; ἀλλὰ γυνὴ διὰ τὸν ἄνδρα. Non
conditus est vir propter uxorem, sed uxor propter virum. Malè au-
tem hoc dictum applicat Pererius in *Genes.* p. 157. ubi dicit: Mosis &
Pauli doctrinæ valde congruere & consentire Aristotelis & Peri-
pateticorum sententiam, appellantium foeminam animal occasio-
natum. Rectè enim monet *Immortalis Memoria Vir Dn. ALBERTI,*
Perenne Lipsiensis Academia Decus Comp. J. N. Orthodox P. II. cap.
X. §. 21. Aliud esse generationem feminae per occasionem aut casum ex
imbecillitate seminis virilis, si hoc potens non sit producere Marem,
prout sentit Philosophus; aliud creationem ejus à sapientissimo, ac be-
nignissimo DEO in subsidium viri, qui est sensus Spiritus Sancti.

§. V.

Hinc ergo jam descendit, quòd in rebus conjugii atque fami-
liae maritus pro lubitu disponere queat, nisi vel lege positiva, qua
restringi hæc potestas potest, aliud determinatum sit; vel saltem
pacto conventum. Quòd etiam dotis illatio referenda, utpote quæ
non ex jure naturali est; cum etiam sine bonis ab uxore illatis matrimo-
nium consistere possit. Unde apud Japonios indotatae uxores
sunt; & quamvis ipso nuptiarum die certam pecuniæ summam,
Sponsæ Parentes Sponso mittant; istamen eam non accipit, sed iis
remittit; & ejus rei hanc jactitant causam, quòd nolint ullam uxori-
bus superbia occasionem ministrare. *Varen. descr. Japon. c. 12.*

§. VI.

Similiter jus constituendi domicilium penes maritum est, &
uxor id tenetur sequi, tanquam pars seu portio familiae; nisi scili-
cet justam dissentendi alleget causam. Atque hinc Japoniorum pro-
verbium: *Fæminam per omnem vitam propria habitatione carere;*
puellam enim in parentum ædibus, nuptam in mariti, viduam in libero-
rum domibus agere. *Varen. c. l.*

§. VII.

Quæritur autem, juxta quam Regulam metiri potestatem ma-
ritalem oporteat, ut constet, quousque se illa extendat? Estimanda
verò ea sine dubio est ex *hujus Societatis sine.* Ex quo jam pri-
mùm liquet, jus hoc mariti in uxorem dominium in sensu rigoroso
vocari non posse. Cum enim una fiat caro cum uxore, qui domi-
nari